

**Propempticon, quodammodo
continens hactenus actæ
vitæ curriculum pietate
re...**

Hernodius, Michael Jonæ

1 Ic 1619 Elimans



National Library
of Sweden

PROPEMPTICON,

Quodammodo continens hactenus actæ
vite curriculum

Pietate Reverendissimi, Eruditâ doctrinâ
Clarissimi, insigni virtutum
laude excellentissimi
VIRI,

DN. M. OLAI ELIMAEI,
CELEBERRIMÆ METROPOLIS
SVEONUM quæ est STOCKHOLMIÆ PASTORIS
pro tempore primarij, vigilantissimi; Nec
non WIBURGENSIUM Diœceseos
EPISCOPI dignissimi,

Fautoris & Patroni sui summè colendi
& observandi:

IN ABITUM AD DICTUM EPISCOPATUM,
QUO

Felicem itineris cursum, longum & prospe-
rum valetudinis statum, & quæcunq; bona à Deo ter Opt.
Max. optando; sicuti testificando observantia &
gratitudinis officia, humillimâ animi
devotione deproperabat

MICHAEL JONÆ HERNODIUS ANGER,

Anno salutiferæ incarnationis M.DC.XIX.
die 5. Augusti,



HOLMIÆ,

Imprimebat OLAUS OLAI.



pores:
Dulcissimamq; dabit roranti Nectare ve-
nam?

Ut meritas valeam properanti flumine
Laudes

Patroni Cantare mei: Tu Maxime Divum
Phæbe pater, sacro qui numine pectora vatum
Intemerata faves, rutilo quod jaspide libas,
Funde mihi Nectar; vel si nimis ardua quæro
Munera, da saltem referat mea Musa saporem.
Illius è Clario quod gurgite profluit undæ,
Sic mea felici decurret flumine vena.

Ast mihi quidvè prius, quid posteriuvè canendum
Ambigo: Materiam numerosam mole decentis
Distrahor, ut celebrem pretiosis mercibus urbem,
Hospes ubi petijt, quid præferet, hæret, & anceps
Delectum variâ præstringet imagine splendor:
Tam patet in Laudes, MÆCENAS optime rerum,
Area lata tuas! Nam quamvis natus honesto
Stemmate, belligerante paracia nota Carelo
Pyttis ubi annexos Flimenses maxima cives
Iactitat, (unde refert Elimæi nomen) abundè.
Fortunâ poterat patriâ vixisse beatus,
Non contenta tamen mens libera gentis honore,
Eximias statuit pulchrum sudare per artes,
Nomina maiorum, ut propriâ virtute valeres
Augere, & titulos olim transcendere avorum.
Ergo pij curâ, ductuq; operâq; parentis
Primula mox dulces Domino persolvere grates
Ætas à teneris pietatis cultibus annis
Pectoraq; assuescunt infantia: Sed datur inter

Bis vicibus quinque duodena peregerat Astra,
Cum natura tibi teneros firmaverat artus,
Jamq; ferax animus Musarum prendere semen.
Par fuit: Ad Petrum, tribuit cui Sachsia nomen,
(Quem tua tunc Laptrâff coluit vicina mystam)
Millus, cera velut nova presso tacta sigillo,
Tradita perdocili rapuisti dogmata mente;
Usq; adeo nondum verso benè diceris anno
Lecturam linguæ cum Svecâ scisse latina
Verbaq; Romanis pertentavisse Suecana.
Ergo cultoris fundum potioris egentem
Par fuit haud torpere; vides ut rustica pubes
Optima divitibus committat semina sulcis?
Aboicas igitur felici sydere Musas
Heinrico visis socio, qui major ab annis
Frater, ubi Agricola sacras tradente Magistro
Artes, cœpisti Musarum florida Tempe
Lustrare, ingenijq; novos producere flores,
Non secus ac Zephyris genialis flantibus hortus
Purpureis immixta rosis fert lilia, pictos
Ostenditq; sinus, & svavi pollet odore,
Sed vaga præclaris quæ fors virtutibus obstat,
Optima conando remorari exordia, sparsit
Aëre corrupto diri contagia morbi,
Pestiferamq; luem totâ commiscuit urbe:
Diffugiunt cives desolatoq; Lycæo,
Mæenas Patrios repetis cum fratre Penates.
Vivida sed regnans generoso pectore virtus
Incepto faustè nequijt desistere cursu,
Sed properante gradu repetis Wiburgica doctæ

Tecta

I ecta scholæ, cupidoq; sacros bibis ore liquores.
Hic, velut autumnò quæ credita semina conflit,
Fructifero Tellus gremio, mox verè tepenti
Multiplici promit reditu, nimiumq; benigno
Fanore, & agricolam nec spe delectat inani.
Haud secus Aboicæ tibi quæ tribuere Camœnæ
Mystica sacra, vident milleno crescere fructu,
Dadaliò pictos & more erumpere flores,
Præceptor simul & longâ statione relictî
Qui tua mirantur stupefacti fata sodales.

Et licet in cunctas virtus tua fumeret horas
Incrementa, tamen non tollis vertice cristas,
Nec te pomposo tumefacta superbia fastu
Titillat, sed quo faciles tibi plura dedere
Dona Deæ, tanto submissior esse parabas.
Certabat siquidem veneranda modestia divæ
Doctrinæ, oblata nec laudis captus amore es.
Sed mage quò refugis laudum præconia, tanto
Laudaris magis, & passim tua fama vagatur
Divitis Ingenij decus haud triviale sonando.

Motus præses ab hâc Holmensis pervigil arcis,
Qui secreta manu meruit tractare fideli
Regia, Matthiades qui te rangebat Ericus
Sangvine materno, Patrijs excedere Musis
Te jubet, & studijs majores quærerere cultus,
Holmiacosq; videre lares, Academica pubes
Quâ didicit solers veterum præcepta Sophorum,
Liberiore modo, & florebant jura Lycæi
Prisca Stagiriaci, Regis bonitate Gothorum.
Nuncius ille tibi gratissimus, illico honestis
Parebas monitis, ultroq; venire parabas.
Hospes ades gratus, doctis Elimæ Magistris,

Acrem qui utiis intotumavere juvenialis,
Ante alios Jacili Skinnerus amore fovebat,
(Skinnerus Latia ter maxima gloria Svada
Florida Rhetorices qui vibrans arma, disertum
Svavitè aufonio Ciceronem reddidit ore)
Per juga te celsi ducens Heliconis, & almas
Musarum reclusit opes, & mystica sacra,
Scilicet ingenium tali cultore decorum
Par erat, & tali Musas coluisse Magistro:
Quò lepidos flores pleno captare pugillo
Culmina Parnassi passim per odora liceret
Fonteq; de sacro perfectos ducere rivos.
Sic apis angusto quæ carcere tempore brumæ
Parvula delituit, patrij contenta liquore
Mellis, ubi vernos reparavit Apollo calores,
Audet se campis, & aperto credere cœlo;
Et juga cum volitans florentia repperit Hyblæ,
Infilic herbarum folijs, libansq; saporem,
Molles ipsa favos, iterato crebra volatu,
Colligit, & dulci distendit nectare cellas.
Sapè Periclæo, cum grandine mixta, lacerto
Te studiosa cohors jaculantem fulmina vidit,
Cum libuit sumptis levitèr pro ludere in armis,
Et placuit documenta dare à puerilibus annis
Quantum sit doctas didicisse haud segnitèr artes,
Summa Heliconiaci tetigisses culmina montis,
Oenotriâ si non lectum tellure venenum,
Mortifero infani spargentes gutture fuci
Floriferosq; tymos, & lilia cana rosasq;
Contemeravissent, sacro crescentia colle.
Quo scelere Aönus Musarum præsul Apollo
Commotus, laribus spretis Holmensibus, altam

Sed jucundus amor dulces te linquere divas
Non finit, hinc celeri gressu comitaris easdem,
Candida mellifluâ perfundens pectora Lymphâ.

Impia præclaris conatibus hæcenus audet
Fortuna ancipites tricas opponere, recto
Quò te currentem remorari tramite possit.
Ast ope virtutis sua dum conamina ludi
Vidit, & immotas Fati persistere leges,
Mitis amabilibus te tandem aspexit ocellis:
Et quibus obstiterat quondam, jam promovet ausus.
Namq; tibi (Holmensis qui quondam pervigil arcis,
Præses) opes moriens relliquit avunculus amplas,
Præsidio quarum cultas germanidos oras
Aggrederis, longè celebratas visere terras,
Quâ doctis trinæ mirâ dulcedine linguæ
Convixisse viris, celsas profitentibus artes,
Et varios hominum mores cognoscere & urbes
Fas erat, humanos & quicquid poscit in usus,
Ancipites rerum superans Prudentia casus.

Ergò ubi diversis summâ cum laude lycæis,
Ingenij inciperes fæcunda recludere dona,
Nunc defendendo perplexa problemata, nunc &
Flexanimæ logices scitâ bene doctus ab arte
Oppositas turbando theses ceu fulmine quassas;
Et nunc Rhetorici flores pingendo leporis,
Ingenium felix doctâ mirante catervâ;
Ecce tibi virtus radios generosa micantes
Exerit, & scandens vulgus super alite passu
Candida te niveis attollit fama quadrigis,
Et mox Leucorides felici sydere Musas,
Emeritos pridem decernere suadet honores,

Quâ proci um cultâ te circumstante coronâ
Pompoſo veniens numeroſoq; agmine, primis
Proximus, inſigni raroq; ornatus honore
Es titulum Sophici juſſus geſtare Magiſtri?
Non mihi ſi felix Andini vena Poëtæ
Subdat mellifluos in carmina noſtra lepores,
Sufficiam dignas Elimæo dicere laudes.
Sed nec eget noſtræ Virtus tua vivida laudis,
Ipa ſuo ſiquidem proprio ſplendore coruſcans
Æthereas volitat latè ſpectanda ſub auras.

Jam ſatis egregij, Calles, quidcunq; Magiſtri
Grandeq; laudari Doctõris munus honeſter,
Collectamq; refers non uno climate gazam,
Aurumq; & gemmas pretio ſuperantia dona;
Tempus & hora vocant peregrinâ gente relicta
Tempore poſt longo patrios luſtrare penates
Suediacoq; ſuper flores Helicone virentes
Pegafidum ſumpto de fonte rigare liquore,
Ante alias lato reducem cupidiffima plauſu
Ubfalia excipiens Princeps Academia jure
Vendicat, & reliquis prærepto gaudet honore;
Quemq; prius fovit, charum ceu mater alumnum,
Nunc ſtupet attonita, & Doctõris ſuſpicit ora,
Suavidicæ quando profatus flumine linguæ.
Quâ liceat Phyſeos cacos penetrare recessus,
Arcanaſq; recludis opes, clauſoſq; laboras
Excuffiſſe ſinus, & rerum dicere cauſas.
Hinc, Elimæe, tibi talis (ſi vera fatemur)
Gloria parta viret, totumq; virebit in ævum,
Qualis Ariſtoteſi naturæ abſtruſa docenti,
Quem ſuper humanos extollit Gracia honores.

Dignus

Dignus eras multos laudato fungier annos
Munere mellifluos summo & fudisse Lycæo
Rivos: delectat sed enim sua quemq; cupido.
Ipsa vices etiam variat natura, recenti
Purpureas nunc vere rosas & lilia nutrit,
Nunc ubi sydereis tepescerat ignibus arva,
Pomaq; frugesq; & rubicundas educat uvas,
Cumq; suas monstrasset opes, bene provida vires
Retrahit, & sese venturo præparat anno.
Sic ubi frugiferos Phœbo plaudente labores,
Donasti Ubsalicis non parvo tempore Musis,
Non tam mole operis, nimiâ quam laude gravatus
Otia grata petens, faciles moderaris habenas
Encopicæ pubis summâ sex laude per annos.
Non tulit exiguam tanto Doctore sed urbem.
Florere & liquidas caput exeruisse sub auras,
Holmiacus vasto famosus in orbe senatus;
A Gothico ergo petit mandata tremenda Monarchia,
Queis Elimæus opem collapsis ferre jubetur
Holmiacis (olim vidit quas ipse vigentes
Illarumq; bibit latices de fonte) Camænis:
Sic, licet invitus, gratos mutare recessus
Cogeris; imperio Regis parere necesse est,
Aggrederis lapsosq; lares situosaq; tecta,
Musarum vigili jam restaurare labore;
Adfuit incepto Deus & conamina juvit,
Succeduntq; pio feliciter omnia voto.
Convenire Deæ, notâq; in sede priores
Incoluere domos, & te duce svaviter omnes
Cæperunt dulces in gyrum fundere cantus.
Flexanimamq; Chelyn Phæbus pulsavit Apollo
Mobilibus digitis, tetrâ calligine pulsa

Barba-

Barbaricæ nubis, nova lux exorta refulget.
Eccui se tantum doctæ debere fatentur
Litterulæ, nostro quantum debent Elimæo,
Cuius ope impositis caput exonerare tenebris,
Et jubar auroræ possunt spectare micantis?
Magna quidem teneras sibi demeruisse Camænas
Et Celebris virtus, quæ si vel sola fuisset,
Perpetuum poterat tibi conciliare decorem,
Et te sublimem super astra corusca locare:
Sed jam major honos vocat & te scandere celsa
Pulpita, regalis summaq; Antistitem in æde
Metropolis, mandat divini oracula verbi
Sacra Panomphæi præcepta sonare tonantis
Quemq; suâ CHRISTUS præciosâ morte redemit
Pasqua læta gregi monstrare, modumq; docere
Ut queat innocuam sine crimine ducere vitam
Seraq; sydereos post fata habitare Penates.
O mihi nunc Cicero cuius facundia toti
Præfertur LATIO vel doctis magnus Athenis
Fulmina qui toties vehementi miscuit ore,
Dulcia concedant facundæ flumina lingvæ,
Tunc ego Mæcenæ, auderem, candide voces
Ipse referre tuas, solio spectabilis alto,
Queis velut ætheream referenti flumine gazam
Sapè soles populi docilem mulcere Coronam
Infestas vitiis virtuti reddere amicas
Et quocunq; lubet captas inflectere mentes:
Sed mihi fessâ labat numeroso pondere cervix
Et vaga succiduo iam poplite crura tremiscunt.
Nam neq; Dauliacos audebit garrula cornix
Pertentare sonos, nec si velit improba possit.
Quis non attonitus tua respicit ora, suosve

Flex-

Flexanima ipse regit, nisi per tua pondera, sensus!
Ipse etiam si te facundus dulcia NESTOR
Ora resolventem videat, Ciceroq; disertus,
Jam sua dulcissimi sorderet, gratia mellis
Nestori, & attonito Cicero mutesceret ore.

Talia felici fulgentia pectore dona
Numine MAIESTAS perpendens Regia divo,
Non satis esse putat, muro circumdatus uno,
Si (licet immensus) discat tua dogmata cætus:
Summos ergo apices & scandere culmen honoris
Te jubet, & sacra redimitum tempora mitra
PRÆSULIS eximium nomen gestare verendi,
Doctificoq; pedo gentem moderarier amplam
Quã populosa patet spatijs amplissima longis
Terra Careliacis WIBURGICA culta colonis,
INGRIAq; indomitis nuper prærepta Ruthenis.
Sic decet & fas est doctos clarescere; Virtus
Scilicet egregios generosa meretur honores.
Non equidem solum te diva scientia, blanda
Suadaq; commendat, dulcis Patrone, sed omnis
Virtutum residet pretioso in pectore cætus.
Sed duodena prius percurret Cynthius astra
Quam mihi cuncta tua, tenui contingeret avena
Inclyte Mæcnas præconia dicere laudis.

At tu quem cætus Soboles ut charæ parentem
Detinet Holmensis, Votisq; frequentibus instat
Tam citò ne medijs navim PALINURUS in undis
Deseruisse velis, multum indignante CARELO
Longasq; incusante moras, Divosq; rogante
PRÆSULIS optatos liceat quò cernere vultus,
Vive diu felix parto fruiturus honore
Cum voles ventis dare carbasa plena secundis,

Concessam faustâ petiturus luce Cathedram,
I pede felici: sic quæ mortalia nectunt
Fila, neant, opto, tibi stamina longa sorores.
Substernantq; tuis pedibus mollissima fata.
Purpureasq; rosas & lilia, veris honores.
Tandem ubi multiplicem turbam numeroq; carentem
Erudiens, CHRISTO fueris lucratus, abinde
Scande domus superas & sacro plenus honore
Perpetuo certa stellis splendore corruscis.
Hoc tamen interea certi cape pignus amoris,
Dignerisq; tuo me, candide, scribere in albo.
Si mihi sacratos ab Apolline scandere montes
Fas erit, & Clario depromere fonte liquores,
Nulla dies unquam, si quid modo carmina possunt,
Inclyte Mæcenas, memori te tollet ab ævo.

